Jacobi Ignatii Gemmea mentium Reginae Sa-
pientiae

GEMMEA
REGINÆ MENTIVM SAPIENTIÆ
CORONA
D. JOANNES CANTIVS
CONFESSOR,

Regni Poloniæ & Almæ Vniuersitatis Cracouiensis

PATRONVS.

Vitæ sanctitate, meritorum & miraculorum gloriâ Jllustris,

Annuo Festiuitatis suæ recurrente die,

Jn Ecclesia Collegiata Beatissimæ Virginis MARIÆ In Summo Posnaniæ,

in frequentissima Illustrium & Nobilissimorum Hospitū Corona.

à

M. JGNATIO IACOBI.

In Alma Vniuersitate Cracouiensi Philosophiæ Doctore, ac interea in Academia Posnaniensi Rhetoricæ Professore, Contubernii Szołdrsciáni Præfecto.

cultu Panegyrico

ÇELEBRATVS.

Anno salutis 1690. die 19. Octobris.

Typis Academiæ Posnaniensis.

Jn Gentilitium Insigne
JIlustrissimæ ab Antiquo Domûs
LVBIENSCIANÆ.



GOrgoneum quicunq; caput spectauerat olim,
Dicitur in gelidas obriguisse fibras.
LVBIENII potiora sacrum Caput exhibet Vri,
Cuius ad aspectum barbara turba riget.
Terrorem Gladius, doctum Caput vrget honorem.
Iungitur hîc geminum Martis & Artis opus.
Par genio robur, respondet dextera menti:
Hinc laus non vno tramite parta fluit.

PERILLVSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO
D. CASIMIRO ŁVBIENSKI
Ecclesiarum Cathedralis Cracouiensis CANONICO.
Collegiatæ Vislicensis, Custodi &c. &c.
Domino & Benefactori Colendissimo.

G*Emmeam Regnatricis Diuo Nostro in Doctore Sapientiæ Coronã, in plenum patrocinantis beneuolentiæ Tuæ sinum reponere fas & iura obærati pectoris sinunt.* Perillustris & Reuerendissime Domine. *Auitum Bisontis Tui Caput Coronas non respuit, eminere natum & ad aras regnare virtutum calculo & meritorum. Gentilitij quidem potestas Ferri & intima penetrantis Gladij fulgur, iustam consciæ tenuitatis menti inculcat formidinem, repulsam tamen non obijcit generosæ sociata comitas Maiestati, quæ dum superbos premit ausus, parcere subiectis didicit officiosi cultûs & obseruantiæ argumentis. Non terret vtiq; robur, quod eruditi Capitis moderamine temperatur. Pharetratus Apollo bella tamen odit, quæ sæuâ pernicie liberis Sapientiæ iugulis insultarent. Nec Iouis armata fulmine manus semper fulmina spirat, vbi dexteræ potestas Capitis arbitrio paret. Atq; commune id cum Dijs Tibi intercedit, quòd inusitatâ animi Tui magnitudine, neminem terreas; plurimos tamen vrges in Tui Nominis obseruantiam. Solers Natiuæ virtutis prouidentia Gentilitium Vri Tui Caput armauit gladio, vt ex vtroq; Cæsares in Domo* Lubieniana, *serò itura ætas miraretur, sapientiæ scilicet & fortitudinis insignia. Viderunt sæcula longam Magnorum Nominum è Stirpe* Lubienia *seriem, quæ Sacrâ Ciuiliq; Purpurâ insignis conspicuam Orbi Lechico in se exhibet amplitudinem. Ac inprimis Virile* Andreæ *de Lubnia Nomen, non iners auspicium secuturis fecit Nepotibus, qui Magnum Thesaurarij Regni Munus, Atlanteis suscipiens humeris, eum immortalis gloriæ meruit censum, vt in viua recordatione Patriæ, gratantisq; resonaret Prussiæ, cui suum ille subscripsit priuilegium. Non dispari eum secutus vestigio* Sventoslaus Lubienski *raræ vir magnanimitatis & prudentiæ, candoris amussis, probitatis regula, qui eo vsq; Magni sui Nominis meritorumq; pretio enituit, vt* Mathiæ de Buzenin Pstrokonski *Vladislauiensis & Pomeraniæ Episcopi, Supremi tunc Regni Cancellarij Sororem in vitæ thoriq; sociam meruerit accepisse, tam celsi pignus Connubij relinquens* Mathiam Lubienski *Sacræ miraculum Purpuræ, quem merita & rara Virtutis æstimatio, per gradus veluti minorũ in Infula Honorum, ad Archipræsuleæ dignitatis fastigium euexit. Hic primò Religiosissimi Cætus Custodum*

sepulchri

Sepulchri Hierosolymitani Miechouiensis Præpositus, non sterile eximiæ laudis liberalisq́ gloriæ reliquit monumentum, pristino cultui nitoriq́ iam exesam senio restituens Basilicam, eamq́ amplissimis prouentibus ditans. Hinc ad Chelmensem inuitatur Infulam, vbi non minoris gloriæ fida tot decoribus impressit vestigia, vt non immeritò ardentissimis Maioris Poloniæ votis, Posnaniensi adoptaretur Cathedræ, Præsuleam inibi auspicatissimis successibus continuans magnitudinem. Sed nec hic vltimus tanto Nomini terminus Herculeum non plus vltra obiecit, sublimiùs eundi stimulum & calcar gloria addidit, ad Vladislauiensem & Pomeraniæ Episcopatum, vltimum scilicet ad summam sacra in Purpura dignitatem, gradum, quem vix fortunato inijt pede, breui ad celsissimam Archipræsulei Muneris metam, annuente VLADISLAI IV. Regis Poloniarū gratiâ, approbante verò parem tanto Honori animum VRBANI VIII. Romani Pontificis fauore & patrocinio. Verum omne gloriæ virtutisq́ punctum meruit Stanislaus Lubienius Episcopus Plocensis Musarum Phœbiq́ delicium, Historicæ Veritatis Phœnix, qui pòst dissitarum Gentium Regnorumq́ confinia seriò peragrata, pòst tot munia Regum Reiq́publicæ è voto strenuè expedita, Plocensem meruit Infulam, vbi tot inter excelsi pectoris documenta, raras sublimis ingenij, nec fucatæ speciem sapientiæ ostendit, eâ styli sublimitate, Plocensium vitas Antistitum Orbi exhibens, vt Plinios Traiano non inuideamus, aut Latio Liuios. Atq́ vt innumera alia tanti Nominis insignia solâ venerer taciturnitate, de quibus secutura ætas nuspiam conticescet, præsertim cum in Te Vno tantorum compendia Nominum legimus, Candoris regula, Elegantiæ amussis, Eloquentiæ Olor, Regum delicium, Præsulum amor, Magne Lubieni! cuius emeritum tot decoribus, tot meritis verticem pridem iam non vnius Infulæ gemmeum insedisset pondus, si Præsulei Honoris æstimatio, generosum mouisset pectus, pronum ad sublimia monstrando iter. Nihilominus odisti titulos solicitâ fronte quæsitos, eo dignitatis Tuæ beatiori censu, vbi libera mens proprij ambitu peculij circumscripta certas modestiæ imponit leges. Coronatum Cathedræ Tuæ Nomen, ipso grandiorum neglectu Honorum attollis: Posteritati ostensurus, hic Ducales Mitras, Præsulumq́ Infulas arcto fædere in vnum colligari. Attamen eam diutiùs sibi imponi violentiam merita Tua non permittent, & cum ire altiùs nolis, succolaneo meritorum dotumque, Tuarum nisu in sublime fereris. Id inusitata gloriæ Tuæ dignitas, id eximiæ celsi Nominis Tui dotes, ituris in altum passibus Tuis pollicentur. Atq́ disertos hos inter votorum Concursus, Oratoriæ pignus Coronæ, serenâ, quâ omnes recreas fronte acceptabis. Multis Nominibus titulisq́ Magno Tuo id debetur Nomini, cuius singularis in me gratia in publico nuper Perangusti Capituli generaliq́ Consessu exoticam Clientis Vestri promovit Spartam. Non aliâ itaq́ grati pectoris Memoria singulare Tuum coronare fas est patrocinium, nisi Panegyrico hoc radiantis Coronæ cultu. Impar quidem tantæ erga me gratiæ à calamo vectigali pignus, Nouum tamen uel inde pretij sui habebit pondus, si in beneuolo gratiæ Tuæ sinu, congruam reperiet stationem, quod supplex poscit.

Vestræ Perillustris & Reverendissimæ Dominationis.

Obligatissimus Seruus

M. IGNATIUS IACOBI: P. D.

ORATIO

ERuditum Sapientiæ verticem ad coronas facilè eluctari, extra omnem anxiæ dubitationis aleam positum est. AA. Quippe nobiles palmæ vltrò doctæ incumbunt fronti & officiosæ laurus prono nisu literatum ambiunt caput. Nemo ambigat imparem paludato honori indolem Sapientiæ, cui potestas consiliarij iudicij ac togati suffragij calculus, non contradicente veritatis genio, superbam dibapham & imperiosos contulit Fasces. Ex æquo Regium decus ac tantus honos decet Magni Iouis Natam, quæ regiminis Arbitram nec ineptam Moderatricem in terris agere nouit. Cuius imperij fulgur, solijq; Maiestas, non scrutante viscera ciuium crudeli ferro, aut gemente sub malleo Steropis bellaci chalybe, delicatam oculorum non perstringit aciem; quinimò caligantes & cæcis ignorantiæ vmbris possessas serenat mentes. Meretur certè vt trabeam induat & augusto spectanda throno, Regiam concessi decoris explicet Maiestatem, quæ leni nutu, modestoq; regimine non solùm viles animas, rude vulgus coërcet; sed magnis etiam ingenijs, capacibus sublimium animis ac beatiori mortalium cætui, leges & iura dictat, magna in terris Præses, Regnorum fulcrum, Orbis pupilla, cælorum Inquilina, inquam Regina mentium Sapientia. Agnoscunt suam felicitatem, vicesq; beatas iactant, fortunáta Imperiorum Solia, quòd eius dono vitalem hucusq; possideant honorem. Pridem ambigua contumaci Nemesis succubuissent inclementiæ & luctuosa sub incude Fatorum defecissent: si erudita Sapientiæ solicitudo prouidam casuris negaret opem. Neq; is Sceptrorum splendor & gloria rutilâsset, non explicante natiuum iubar Sapientiâ. Et quantumuis minax Gradiui furor plerumque in perniciem Orbis effreni armorum detonet impetu, ac Bellonæ rabies Tragicum Regnis intentet occasum, ipsaq; cruda malorum tempestas, coniurata in excidium Soliorum, trabeatos depressura apices, ab immiti erumpat Vulcania, non raro tamen trepidis in rebus auxiliarem Sapientiæ manum, desperata diuq; ciuibus deplorata, Regnorum experitur fortuna. Tua est hæc laudum apotheosis, Tuus gloriæ census, ô immortale Lechæi Orbis decus, Magnorum Regum Filia & Mater, fæcunda ingeniorum Altrix, vir-

tutum & ſtudiorum Athæneum, inclytum ſapientiæ Auguſtale, Alma Academia Cracouienſis, quæ non vulgaria doctrinæ munera, capacibus eruditi honoris genijs, pluſquam Amaltheâ diſpenſas liberalitate. Tuum eſt, quidquid deuotæ Muſis mentes poſſident, aut ingenioſi meruêre vertices. Ad Regimen animorum fortunato ſidere Te natam, cui in cunis adhuc non fruſtra Regum fauor, Regalia gemina contulit ſceptra, baiula honoris & gloriæ, ſolidas Patriæ baſes, quibus ceu *A*tlanteis humeris aut Herculeis coloſſis, Sarmaticus fulciretur Orbis. Magnum eſt Tuæ felicitatis argumentum, quòd aptam Bellonæ curis, Patrum Curulibus, Regumq; Soliis, Polonam parturias indolem. Nec diſpar ſubit gloriæ thema, Te fauente, eruditis frontibus laureatos donari honores. Aſt dùm laureis literatorum decoras tempora, nobilior auguſto Tuo vertici debetur corona, quam non leuium foliorum labor, nec generoſarum frondium honor, ſed ſuperbi metalli commendet dignitas. Maieſtati Sceptrorum, quæ Te Regnatricem probant, conſanguineum eſt diadema. Nefas, vt coronata non incedas, quæ ſceptris potens ad coronas, faſces, thronos & purpuram promoues, Dignam diademate ecquis neget? à cuius arbitrio ſceptrorum honos, throniq; felicitas pendet. Sceptra Tibi Polonorum contulit liberalitas, Coronam Polorum offert fauor, non auream, ſed cæleſtem, omne metalli pretium excedentem, nimirùm: D. IOANNEM CANTIVM innocuo candore, vitæ ſanctimoniâ & miraculorum gloriâ illuſtrem. Cuius virtutum gemmas admiratus, necquidquam aberrabo, ſi D. IOANNEM CANTIVM Gemmeam Reginæ mentium Sapientiæ Coronam appellauero. *A*nnue imbelli facundiæ Diue Confeſſor? & inopem ſuadam dita gratiarum gemmis. Gemmeus es: quia Gemma Doctorum. Corona es: quia Almæ Tuæ Matris Academiæ Cracouienſis decus ac immortalis gloria. Vos *AA*. egenæ Orationi gemmeum beneuolæ auris indulgete fauorem, vt tenuem facundiam diuite veſtrâ coronante gratiâ, maius æſtimationis pondus, pretioſæ huic accedat Coronæ, quæ valorem pretiumque ſui ab attentis exſpectat mentibus.

Ambitioſa Orbis indoles diuturno ſæculorum tractu, eò tandem inſolentiæ deuenit, vt primævum innocuæ egeſtatis aſpernata decus, pretioſa ægræ mentis conquirat ſolatia. *AA*. Didicit quippè ſub Magiſtro terſioris ſiue deterioris ſæculi genio, ſub locupletiori laborare venuſtate. Pudet iam modeſtioris cultûs, nec natiua arridet ſpecies, niſi artificioſa procuretur pulchritudo & arrogantior placendi modus. Rudis anteacta veterum ætas, ementiti decoris & diuitis nequaquam ſtudioſa formæ, eam ſuperbiendi normam vel adſcititiam non nouerat elegantiam, cui parandæ ſerior tanto allaborat ſtudio. Olim infans Orbis aurea vidit ſæcula, nihilominùs pretioſæ ætatis decus admiranti, ignotum erat auri pretium. Nunc cùm ferrea ſeculorum grando,

do, annorum an potius malorum ſerie fatigatum concutiat Orbem, plurimus tamen auri amor, ferrea occupauit pectora, ut inde aurea tempora & gemmea prorſus credantur redijſſe momenta. Omnis in hoc mortalium labor, Attalicis eminere conditionibus & creſcentibus diuitiis auari Midæ pretioſam compeſcere famem, vt penitus extremum ſit ſupplicium, Iri vel Codri damnatâ laborare ſorte, & abiectio plebis habeatur ille, cuius menſa Siculas non excipit dapes, aut ſupellex ſuperbo non tumet metallo. Non ſufficit maleſanæ cupidini, diuitis terræ ſcrutari viſcera, niſi etiam vitreos infidi elementi ſollicitet receſſus & quærat opes, quas natura inuidioſo occultat ſinu, vt telluris ac Neptuni congeſta pretia, opulento ſui ſplendore, ſedulam ſolentur orexim & auri ſacra fames, pretioſâ expleatur ingluuie. Verum enimverò non metalli vel gemmæ; ſed auaræ hominum ſolicitudinis hoc vitium eſt, quæ colligendis tantoperè inhiat opibus. Innocens hic terræ ſoliſque partus, & pulchra roris ac cæli proles, aurum ſcilicet & gemma, cæteraque metallorum & lapidum plebes, humano uſui ac obſequio; non ſuperbiæ & oſtentationi nata, fruſtra diris deuouentur, cùm producta naturæ dono, Regum Coronas, Principum mitras exornent, ſintque ſæpenumero non vile pretium operoſæ virtutis. Nec mortalium ſolùm, ſed Cælitum quoque decus eſt, nobile auri gemmarumq; fulgur, quorum accomodus ſplendor, noſcendas illorum virtutes, humanis præſentet mentibus. Numquid non gemmeus Divus CANTIVS, quem in ſolamen Patriæ, pretioſam ſæculorum gemmam, rara temporum felicitas, gemmea inquam tulit ætas. Gemmam roris & cæli deciduus producit fauor. CANTIVM noua cælorum clementia, noſtris fudit terris, gratulante ſibi eam felicitatem Lechico Orbe, talem ſuæ perenni gloriæ donatam gemmam, cui omne metallorum pretium & opum cederet faſtus. Natum in Oppido Kety, Latinè angulum denotante, nequaquam extremi loci ſuppreſſit obſcuritas: excelſæ eius indolis & virtutis candor, quantumuis in angulo enituit, vltimos etiam Poloniæ fines, ſplendido ſui ſpectaculo illuſtrando. Vel in eo ipſo gemmæ naturam ſecutus, quæ arcano conchæ ſinu & abditis inuidæ naturæ latebris abſcondi gaudet. Iam non iactent inane generis decus infames Pontici, quos ambitioſus ſanguis & auiti Nominis amplitudo fruſtra in ſublime attolit: ſi propriâ virtute deſtituti, ad propinquum ſolem ceratis remigant pennis, Icarium in imo experturi caſum, etiam in excelſo lubricum inſolenti gloriæ ac inepto faſtui patere iter, ſerò ſerioq; edocti, trabeati generis, non virtutum hæredes. Vana laus & inſulſa famæ cupido, Maiorum factis & alto ſanguine degeneres tumeſcere animos. Facilè Natalium ſplendor vacuis tatiſcit ceris, deflua virtute ſolidam negante opem. CANTIVM ab ipſis angulorum latebris, candidiſſimam euaſiſſe gemmam, ipſe ſe-

renus

senus virtutis eius candor & gemmea vitæ probat innocentia. Gemma hæc, non fuit alienæ indiga lucis; nescijt ementito aut emendicato vivere splendore, sat clara luce cùm sua quemq; decet virtute gloriari. Non diu latuit intra obscuros sinus illustris gemma CANTIVS. Prodijt ex abdito in apricum, è tenebris in lucem, ab angulo domesticorum Penatum ad Gracium Apollinem & celebre Musarum Sapientiæq; triclinium, Iuuat quippè gemmam apricari, ut vmbris vindicatus candor & patulæ luci reddita eius serenitas, pensante Orbis genio appretietur. Secùs premente caligine & tenebrarum potestate, nobilis suus splendor, inops pretii, cæcâ opinione damnaretur. Recepta in sinum Athænei gemma hæc, coæuum suum geminauit candorem, è candida facta candidior, nempè virtutum splendori, maturæ eruditionis adiecit decus, sicque crescentibus annis culta evasit, vt in coronam Sapientiæ aptari non falsò crederetur. Gemmæ lucere simul & ornare natæ. Expressit hanc gemmarum dotem CANTIVS, cuius Scientia, & virtus, diuitem adeò diffundebat lucem, vt illustrandis aliorum genijs & decorandæ Sapientiæ apprimè deseruiret. Respondit votis Graciæ Palladis CANTIVS, ita ingenium studijs, æquè ac candidum pectus virtutibus imbuendo, vt par literarum virtutumq; amor solidam eius possideret mentem, dignusq; haberetur, cuius emeritum verticem, præmia doctarum frontium, laboriosæ redimirent laurus. Doctorali laureæ non imparem gessit animum, erudito honori ex asse respondendo. Testis est D. Iagellonis Stoa, dùm non semel in publica disputantium arena decertantis stupuit doctrinam CANTII, cuius mellitæ facundiæ ac subtili ingenio vel ipse veterum cessisset Peripatus. Multoties victori & in literatorum corona triumphanti, palmam spectatrix contulit Porticus. Excellens gemma CANTIVS jam tùm se Coronam Sapientiæ probauit, quùm Decanalem indutus muricem, Præses Sapientum, viua Sapientiæ reddebat oracula. Quo exemplo rudis edocta tellus, coronæ purpuram indiuisam esse sociam, vt nunquam spectârit Orbis, diadema absq; dibapha fulsisse. Eluxit gemmæ huius admiranda lenitas & candidæ mentis innocentia, cunctis suauem & placidum, nemini iniurium vel molestum se exhibendo. Nescijt lenis candor & innocens CANTII modestia, asperis verborum moueri ictibus, quantumuis sæpius in contumaci disputantium æstu, durioribus verbis & cauillis fuerit impetitus; nihilominùs lene & modestum præletulit pectus. Innocuus hic candor, secuturis etiam obseruandus posteris, vel ex ipso modesto eius patet axiomate,

Conturbare caue, non est placare suaue.

Diffamare caue, nam reuocare graue.

Sic CANTII tenax patientiæ animus, contra obtrectationes & odia, modestiæ armatus clypeo, facile opprobria & contumelias modestè feren-

ferendo vicit. Gemmeus CANTIANÆ virtutis candor, liuoris & calumniæ non ſemel laceſſitus telis, haud vllam vel leuem etiam famæ contraxit maculam: nullum quippè ſapientem iniuriâ aut contumeliâ affici poſſe. Omnes iniurias & opprobria in ſinum patientis Chriſti reponebat, vt Regi dolorum vltrò ipſe quoq; patiens, conformaretur. Inter oſcula & amplexus Crucifixi, ab Increata Sapientia didicit ſapientem patientiam, conformis doloroſo Magiſtro diſcipulus, nec expauit vacuus ſpinis eius animus aculeos impetentium, inter quos gemmea CANTIVS nequaquam erubuit Corona. Auxit pietatem frequens Paſſionis Dominicæ meditatio & facilè pientiſſimo perſuaſit pectori ea loca inuiſere, vbi morte Redemptoris, ſalus humani generis reparata eſt, & adorare veſtigia, quæ Immaculati Agni rubent ſanguine. Placuit poſt deuotæ menti Orthodoxæ Fidei Auguſtale, inquam, Vaticanam adire ſedem, vt illam gentium Reginam & Orbis Caput, mente & oculis luſtraret. Non ſolus tot viarum anfractus ſæpiùs repetitos & diſſita ſpatia longinqui Orbis peregrino emetiebatur pede, cui ſplendidus virtutum aſſiſtebat comitatus. Precioſiſſimæ gemmæ huius ſplendor, auaram excubantium in itinere prædonum exciuit orexim & opaca nemoris luſtrantibus, valor eius ceſſit in prædam. Expilata pretio Corona CANTIVS vlteriores euaſit inſidias & tandem aſſeruati recordatus valoris, iterum eoſdem itineris repetens calles, ſponte noua adijt pericula, & vt mancipatas Erebo animas, pretio cælis reſtitueret, reſiduum auri ſceleratis obtulit. Agnouit ſtupuitq; ſimul innocuum gemmæ huius candorem inuerecunda latronum impietas, ſuæq; conſcia culpæ, improbam viuendi aſpernata methodum, teſquas & latebras illicò deſeruit, ſatis prædæ inueniſſe rata, deſperatæ ſuæ ſalutis Authorem nacta CANTIVM. Neq; tam frigida CANTII erat pietas, vt cælo deuotam exuiſſet mentem, ſenſimq; ille ſpiritus alſiſſet, qui continuò erga DEVM æſtuabat amore. Maiori indies CANTIANVM cor flagrabat ſuperûm charitate, Æthnam potiùs, non pectus dixiſſes, quòd tanta Diuini amoris fouebat incendia. Iam aſſiduis vigilijs & Orationibus nocturnum impendebat tempus, ſæpiùs proſtratus, ante patientis Filij & Matris imaginem, quæ in clientis ſui gratam recordationem, ab hoc loco dimoueri renuit, in quo CANTIVS, piæ intentus meditationi, inſomnes exigebat noctes. Arctâ cæli conſuetudine hæc gemma fruebatur, vt quamuis adſtricta terris, à terrenis tamen abſtracta & ſoli cælo vacans, omnem ſuam venuſtatem & candoris gloriam, ipſius dono ſortiretur. Nil maris exſuxit Gemma hæc, quo illibatus candor eius pollueretur. Innocens pudor perpetuò ingenis CANTII excubabat, nè intaminantæ verecundiæ labefactaretur honos. Eam vivendi regulam obſeruauit in Mundo CANTIVS, vt nullum ex eo ſcelerum humorem contraheret, qui

in mundi huius pelago ad æternitatis portum remigans, infames vitiorum vndas, sicco & inoffenso superauit pede. Cælestibus vt habilior redderetur, corpus ita affligebat, vt perpetuâ ciborum frugalitate & frequenti fame extenuatum, perferendis laboribus ægrè sufficeret. Theologicæ accersitus facultati, regularem abstemio corpori indixit parsimoniam, nempe: ab esu carnium abstinentiam, vt sæpiùs solo pane & aquâ reficeretur. Non ignarus, nusquam viuaciorem animi dari facultatem, quàm dùm inediâ castigatur caro & supplicium ventris ferente gulâ, mens vnita Deo pascitur cælestibus. Insignis CANTIANA frugalitas, blanda gulæ inuitamenta, inanes oculorum delicias, superbas Luculli spreuit mensas, ac insanientem Cleopatræ, in vnica gemma Regni pretio supparem, repudiauit luxum. Insolens epularum Vitellii & Heliogabali fastus, castigato non arrisit paláto CANTII, qui ad cæleste conuiuium præparando animum, frugalissimus pane Angelorum, cælesti cibo ad mensam Altaris reficiebatur. Supplicanti afflictorum mœrori non surdas aures aut obduratam mentem porrigebat CANTIVS: facile etenim lenem eius animum aliena flexit calamitas. Nec inhumanum se duris præbuit casibus, cuius placidum pectus, omni patebat commiserationi. Non alium invenit nuditas humi iacentis & intenso frigore penitus iam emorientis, hunc vt vidit misericors CANTIVS, amore proximi æstuans, dempto suis humeris pallio, neglectam contexit pauperiem. Non ingrata Cælis hæc fuit CANTII pietas, quam ipsius Augustissimæ Cælorum Imperatricis Virginis Mariæ remunerauit liberalitas, oranti CANTIO restitutâ veste. Non absimilem misericordiæ tesseram agnouit deflentis infelicem casum Ancillæ luctus, quæ fors indignante cælo repetens ædes, fictile vas incauta allisit saxo & anxia non parcioribus lachrymis rigauit genas, quàm lacteo liquore humum. Mouerunt tristes plorantis lachrymæ, plenum commiserationis CANTII pectus, mox collecta laceræ ollæ fragmenta, Sanctæ Crucis signo pristinæ restituit integritati & liquidâ Rudauæ crystallo, effusi lactis obstitit damno, limpidos fluminis latices, in lactis nectar, stupendo sanctitatis miraculo, transformando. Accedit ad complementum CANTIANÆ gloriæ indefessus eius in docendo labor, cui sedulò etiam in extrema canitie intentus erat, & præsertim cùm Theologicam assumpserat lauream, profectui ac utilitati securturæ posteritatis prouisurus, non segnem exponendis sacris literis impendit operam. E tot numerosis voluminibus, quæ iniqua absorpsit sæculi inuidia vel humilitas, non ambiens victuræ post sua fata gloriæ, Diui Doctoris, æternæ damnauit obliuioni, superstes vnum (quod in Euangelia Diui Matthæi ab illo iam septuagenario conscriptum est] testatur sublimi argumento, ingenii acumine & ponderoso verborum apparatu contextum, quantum laboriosissimus Doctor explanandis Diuinorum sensibus desudauerit, & quàm tot curis, tot ærumnis & laboribus fracto non pepercerit

cor-

corpori. An non inſigni ſuâ doctrinâ verè probauit ſe Coronam Sapientiæ, cui tot pretioſiſſimas gemmas, quot eximiæ ſuæ eruditionis reliquit monumenta, dùm cæleſtem Scientiam ſtudioſis mentibus auſcultandam in exaratis propoſuit codicibus, vt non immeritò gemmea Reginæ mentium Sapientiæ Corona habeatur. Quantùm Superis hæc placuerit Corona, ipſe Cœlorum fauor loquatur, dum uberes depluit in IOANNEM gratiás, quibus tantoperè locupletatus erat, ut illæ non magis ore, quàm ſub ipſo Nomine funderentur. Tot gemmis, quot gratiis Coronam hanc Omnipotentis decorauit clementia, virtutum Maieſtate, ſanctimoniæ famâ & miraculorum gloriâ illuſtrem. Confluebat paſſim longo ordine miſeranda mortalium conditio ad CANTIVM, velut ad theſaurum cæleſtium gratiarum, nec ulla miſerorum ſupplex repulſam paſſa neceſſitas, quæ expetita ſuæ affiictionis à IOANNE non referret ſolatia. Deſperata & ſæpiùs deplorata decumbentium ſalus, CANTIVM inuenit Medicum. Teſtantur plures, quam Octuaginta acutiſſimâ morborum affecti Tyrannide, Diui huius fauore, non ſperatâ donati ſanitate. Viginti ſex iam à monumentis & ſociis defunctorum vmbris, priſtinæ viuendi libertati reſtituti. Cæterique innumeri, non vnâ morborum lue correpti, qui emendicatam à fauentiſſimo CANTIO recepêre ſalutem. Porrò miſerante CANTIO ſurdis ſonus, mutis vox & loquendi facultas redit, fracti pedes vel manus ſuo reſtituuntur officio, cæcis ademptâ nocte, gratiores oriuntur ſoles & malefidis aquis abſorpti ad veteris vitæ enatant portum. Sanctior certè Hippocrates CANTIVS & ipſo fortunatior Galeno, contumacem morborum & fati inclementiam, non herbis aut pharmaco, ſolo duntaxat ſuæ ſanctitatis fugat imperio. Ad honorandam tanti Viri Sanctimoniam, dono Superûm noua cælitus impertita CANTIO præeminentia, vt arcana futurorum eius non effugerent mentem & veriora Delphico Apolline aut Hammonio Ioue de ſecuturis euentibus panderet Oracula. Aſt tandem fatorum decreto, erepta eſt terris Corona hæc, illam quoq; ambiente Cælo, certè digna fuit auguſto ſuo ſplendore æuiternùm ſerenare terras, quæ ſolicitas vices, triſteſq; mortalium curas, gemmeis gratiarum ſolatijs leniebat. Terris Oriente Iuſtitiæ Sole, coruſcum Sarmatiæ occidit decus, acſi tantis gaudiis impare cælo forſitan neceſſum erat, vt ìpſe infans Deus, novum hoſpitem & cæleſtis gloriæ candidatum ſalutaturus, obuiam in terras delegaretur. Siue in ſolamen recenti luctu ſquallentis terræ, & ſibi ereptum decus lugentis, infantem Chriſtum cælum deſtinaret. Nihilominùs veriori argumento; non tam mortis furor, quàm cæli fauor elatam è medio viuentium, inter ſidera hanc collocauit Coronam: vt non minùs perennes Cælicolarum adaugeret delicias, quàm etiam vt Reginam mentium Sapientiam in Muſæo Iagellonico regnantem, Sceptriſq; potentem, ab alto coronaret.

Applaude iam ergo Tuæ felicitati inclyta Sapientiæ Mater *Alma*

Aca-

*A*cademia Cracouienſis, quod gemmeam hanc Coronam ad ſolium inacceſſæ Diuinæ Maieſtatis depoſueris. Eſt, quo læteris prole Tuâ CANTIO, qui ritè Tuis meritis in Coronam cedit: Tuus etenim labor et doctrina illum ad ſidera vſq; promouit. Non decuit Filiam Regumq; Matrem abſq; corona incedere & viduata præferre Sceptra, ac proinde ipſi ſuperi gemmeam auguſto Tuo vertici contulêre Coronam. In cælis etiam iam regiminis Tui effulget honor, Coronâ Tuâ inter Cælites ſplendente non in terris tantùm vbi *Polonæ* Maieſtatis regitur indoles, vt te Reginam mentium declares. Extenditur Regni Tui decus in Sereniſſimo IO*A*NNE III. *A*ugetur in Cardinalium Tiaris ſcilicet Oleſnicciis, Hoſſijs, Macieiouiis, in Epiſcoporum Infulis Wyzſſijs, Lubranſcijs, Tomiceijs; Tyliccijs, Zadzikovijs, Gębiccijs, Szołdrſcijs. *A*ugetur in Principum Mitris, Ducum clauis, Senatorum Curulibus, nobilium ceris & Illuſtriſſimis alti ſanguinis Proſapiis. *A*ſt vnus pro omnibus ſufficit Diua proles Tua *C*A*N*TIVS, gemmea verticis Tui Coronæ. *A*ſſurge in ſpes meliores inclyta Polonia & Tuæ gratulare ſorti, quòd ſingularem inter Divos Indigetes habeas Patronum, qui vota euentuſq; Tuos coronet. Interpellabit ille Diuinam Maieſtatem pro Patria Patronus, pro Matre Filius. *A*ge ergo Magne Cælorum Incola Dive Confeſſor *CA*NTI? auguſtum Sereniſſimi IOANNIS III. caput, triumphali perennaturæ gloriæ corones lauru, vt magnus Lechiæ *Alcides*, Tauricanæ Hydræ toties ſuo malo repetitâ clade renaſcentia recidat capita, proſtratoq; Orientis faſtu, victor in Orbis Capitolio triumphans, victrices manubias & trophæorum inſignia ad celebre ſacrorum Tuorum Cinerum appendat monumentum. Perauguſti Capituli Poſnanienſis glorioſiſſimos Claues gemmeis adorna gratijs, vt illis ad coronamenta gloriæ, facilis pateat aditus & Tiarati referentur honores. Triplices auguſtæ Poſnaniæ *T*urres Tuâ foue protectione, ut ab hoſtili ſecuræ impetu, Ciuicam Te venerentur Coronam. Inclytæ verò Matri Tuæ Almæ *A*cademiæ Cracouienſi Filium *T*e & Coronam præbe, vt intaminatâ eruditione fæcundam, ambitioſus reformidet liuor, & contra inuidiæ fulmina, perennibus coronata laureis, longam ſæculorum ſeriem exigat annoſa. Lubranſcianæ Pinui, vt Eoli minis liuoriſq; telis fruſtrâ adnitentibus, immota floreat, eiq; ver perpetuum arrideat, faue. Faue ſtudioſis pectoribus & dociles animos dita grâtiarum gemmis, vt literatorum cætus ſemper *T*e celebret: gemmeam Reginæ mentium Sapientiæ Coronam.

D I X I.